

EXEMPLAR EPISTOLAE NOBILISSIMI ET
AMPLISSIMI VIRI, DOMINI HENRICI RANZOVII
DE BREDENBERGA, VICARII REGII IN HOLSATIA ET AD-
iunctis prouincijs ad TYCHONEM BRAHE datae, qua
sequentium editionem expetit &
impetrat.

DERLEGI VIR CLARISS: ET NOBILISS: DILIGENTER
literas Illustrissimi Principis LANDTGRAVII ad te transmis-
sas, vnà cum responsione tua semel atq; iterum rescripta, qua-
rum lectio mihi accidit iucundissima, tum quod plurima cogni-
tu utilia, & arti Astronomicæ plenius excolendæ idonea in ijs
contineri percepi, tum quod à Principe, quo nemo inter re-
liquos hoc tempore Astronomiam magis colit, atque à te nostri æui præstan-
tissimo Mathematico vtrò citròque sunt conscriptæ. Ac sanè non possum
non gratulari nostro Seculo, quod DEVS optimus maximus non solum Vi-
ros Nobiles ac Plebeios, sed etiam aliquot Principes excitet, qui huius scien-
tiæ Studio delectentur. Non enim vt vulgus opinatur, huius Artis cognitio
omni certitudine caret, sed certis fundamentis & Observationibus nititur, hu-
manòque generi imprimis est necessaria. Quo circa toto etiam Cœlo errant,
qui hanc ab ociosis ingenijs excogitatam esse arbitrantur. Si quis enim eius
prima indagabit initia, depræhendet à Patribus eam profectam, ac deinde ad
posterios propagatam, longòq; rerum vsu ac Observationibus crebris & diu-
turnis tandem confirmatam esse. Ne autem huius Scientiæ utilitates longius
persequar, tantummodò huius Doctrinæ contemptores ob oculos sibi pone-
re velim, quantis in tenebris versaremur, si Scientia de motibus Solis, Lunæ
& Stellarum, item de æquinoctijs ac alijs, carere nus. Huius enim Doctrinæ,
si expertes essemus, præstantissima Corpora Cœlestia non secus ac bruta
animalia aspiceremus. Quod ad Doctrinam de prædictionibus attinet, etsi
ingenuè quidem fatendum est, non semper euentus prædictionibus respon-
dere: Tamen eius rei culpa Scientiæ Astrologicæ minimè imputanda, sed po-
tius imperfectæ eius cognitioni. Tum etiam considerandum est, quod DEVS
totius Orbis arbiter ac moderator non semper alligatus sit causis secundis,
sed multa pro sua Diuina Sapientia ita disponat, vt alios, atque nos putara-
mus, euentus consequantur. Neque tamen propterea à tota Ars adspernanda
est. Proindè in primis huius Artis tam utilis & necessariæ cultores laude digni
sunt, tum quod Doctrinam conseruent, ex cuius traditione, vt ad cæterarum
Scientiarum Doctores, nulla ad eos non solùm redundat utilitas, siue lucri
alicuius perceptio, sed etiam vilis vulgi contemptus. At tu longè aliter de
hac sublimi Scientia; præsertim quo ad motuum conseruationem iudicas.
Nactus enim in eum vsum peculiarem & idoneam Insulam, cursus Cœlestium
A
Corporum